Observationes in nomina vestium a tragicis Graecis prolata.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XI. M. DECEMBRIS A. MDCCCXCVII
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Casimirus Janowski
Posnaniensis.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

cand phil. St. Waszyński.
cand. phil. J. Zielewicz.
cand. phil. Br. Spychałowicz.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT E. EBERING.
LINKSTRASSE 16.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41535723_0244

Parentibus carissimis.

Proposui mihi nomina vestium, quae tragici poetae Graeci in fabulis suis adhibent, tractanda. Quamquam vero concedo eum hanc quaestionem melius solvere posse, qui opusculum de universo vestitu Graeco scripturus sit, attamen sunt inter nomina illa, quae in talibus opusculis ut remota a cottidianae vitae usu atque orationis elatae propria plane omitti aut leviter breviterque tangi soleant. Quamobrem operam perdcre mihi non videor, cum hanc relictam adhuc provinciam accuratius aliquanto administrare conor. Ergo dum poetica illa *φᾶρος (φάρος), πόρπαμα, στολή, ἱμάτιον* etc. tracto, scenicorum poetarum imprimis ratio habenda erat, sed ceterorum quoque scriptorum testimonia, ubi res ferebat, neglegenda non duxi.

Φᾶρος (Φάρος)

Πόρπαμα.

Voci φᾶρος, quamvis sit inter usitatissimas, saepe falsa tribuitur significatio, propterea quod paullo leviora adhuc a viris doctis de hac re scripta sunt. Ac primum pauca de voce ipsa, quam a Curtio[1] hoc modo explicatam invenimus: Vocem φάρος (aratrum) oriundam a radice φάρ (scindere) distinxit a φᾶρος, quod verbum a radice φερ (portare) derivat. „Φᾶρος, inquit, erinnert an Tracht im Sinne der Kleidung.“ Qua in re veteres etymologi a Curtio stare videntur; nam voci „ἀπο τοῦ φέρεσθαι„ nomen datum esseputant[2]. Prellwitzius vero (Etym. Wörterbuch d. griech. Spr. Göttingen 1892) et φᾶρος et φάρος (p. 330)[3] voces ab una radice derivat, scilicet bhera (schneiden), φαρ — eidemque radici etiam verba φάρσος, φάρω, φάραγξ, φάρυγξ attribuit. Idem tamen haesitat, nec tantopere mihi persuadet, ut eum sequar,

1. Curtius. Grundzüge der griechischen Etymologie p. 298.

2. Suid. (Bernhardy tom. II pars II p. 1423). Etym. Mag. et Zon; οἷον φέρος τι ὂν (οἱονεὶ φέρος τι ὄν). Praeterea Suidas e suo fonte: ἢ τῇ ἱφῇ ἀρηρέναι“ idem in Etym. Mag. — hoc plane absurdum. At haec quidem, quae hic auctor (p. 159 Sylburg (173 37) adnotat: ἢ φάρος παρὰ τὸ φάρσαι, ὅ ἐστι σχίσαι, καὶ γὰρ διαφάρους φασὶ χιτῶνας τοὺς εἰς δύο μέρη διεχωρισμένους, cum argutiae imprimis eorum sint, qui nimis acuti videri volebant, tum ad ea propius accedunt, quae Curtius ad radicem φαρ (φάρος Pflug) protulit.

3. voci φάρος sulci vim dat.

eo magis, quod verba declarandi causa ab eo addita: „jedes grosse Stück Zeug“ — ne in tragicis quidem poetis, qui multo generalioribus nonnunquam verborum significationibus usi sint, probari posse infra cognoscemus. Neque intellegere possum, quonammodo vestis *φᾶρος* cum radice „bhera“ = (schneiden) cohaereat, quia dubium non est, quin antiquis temporibus vestimenta integra ad corporis mensuram apta domi a feminis texta sint, — non ita, ut exeunte antiquitate atque etiam his temporibus, quibus e magnis pannis in textrinis textis a vestificis singulae vestes exsecantur.[1]

Aliter tamen de hac re Lewy disputat (Semit. Fremdwörter im Griech. p. 82—84: „Si *φᾶρος* Graecum verbum esset, secundum ea, quae Berzenburger (B. B. I. 244) dicit, cum „*φάραι*“,[2] *ὑφαίνειν, πλέκειν,* lett: buras, burves (kleine Segel) etc. componendum esset. Sed a semitica quadam lingua eam petitam esse putare malim. Studniczka (Beitr. z. Gesch. d. altgriech. Tracht p. 88 sqq.) ab Aegyptia voce p(h)aar vel p(h)ââr (ein Stück Zeug) etc. eam derivat. Potius tamen ab hebr. piēr (Kopfputz, Turban) etc. derivanda esse videtur.“ Haec quidem Lewy.

Quae omnia etsi mihi non persuadent, peritioribus diiudicanda relinquo. Atque haec quidem hactenus de voce ipsa. Ad tragicos iam accedamus!

Quinquies in Aeschyli fabulis vocem *φᾶρος* invenimus (Sept. 312; Choeph 11, 1008; Eum. 624;

---

1. cf. Blümner. Techn. u. Termin. d. Gew. u. Künste I, 98: Die Verarbeitung der Wolle war bis auf einige Manipulationen von Anfang an und bis in die Zeiten des Mittelalters eine häusliche Thätigkeit der Frauen, obgleich Lukrez glaubt, dass sie ursprünglich von den Männern verrichtet worden ist (V. 1352) — cf. Blümner Techn. u. Term. I, 128).

2. cf. Etym. Mag. p. 159: ἢ *φάρος παρὰ τὸ φάρσαι* etc.

Frgm. Salam. 216 (Nauck), qui ut a Sophoclis et Euripidis usu differt, quod *α* producit, ita cum Homeri ratione consentit.[1]

Tribuitur autem haec vestis solis mulieribus ab Aeschylo. Quod ut demonstrem, satis mihi est praetereunti alios locos (Sept. 312. Choep. 11) qui femineas demonstrant vestes, praetereunti quoque parvulum frgm. 216, quod notioni supra commemoratae non contrarium est,[2] Choeph. v. 1007 sqq. et Eum. v. 623 sqq., qui aliquid dubii praebeant, accuratius tractare. En illi loci:

Choeph. 1007 sqq. (Kirchhoff): Orestes haec:

ἔδρασεν ἤ, οὐκ ἔδρασε; μαρτυρεῖ δέ μοι
φᾶρος τόδ', ὡς ἔβαψεν Αἰγίσθου ξίφος·
φόνου δὲ κηκὶς ξὺν χρόνῳ ξυμβάλλεται
πολλας βαφὰς φθείρουσα τοῦ ποικίλματος.

Eum. 622 sqq. (Kirchhoff): Apollo haec:

δροίτῃ περῶντι λουτρὰ κἀπὶ τέρματι
φᾶρος παρεσκήνωσεν, ἐν δ' ἀτέρμονι
κόπτει πεδήσασ' ἄνδρα δαιδάλῳ πέπλῳ,

qui quidem illam vestem significant, qua implicitus Agamemnon necatus est. Eadem vero vestis quater voce *πέπλος* appellatur (Agam. 1080 sqq. et 1549 sqq; Choeph. 997; Eum. 625).

---

1. cf. Herodianus *περὶ διχρ.* (Lentz II. 1. p. 15,34); *περὶ μον. λέξ:* (Lentz II. 2. p. 23, 36).

2. *Εἴμοι γένοιτο φᾶρος ἴσον ὂν ουρανῷ* — quod fragmentum propterea commemoro, quia amplitudinem certe vestis indicare videtur (cf. Eum. 614), sive Ahrensium secuti codicum scripturam *ἴσον ἐν οὐρανῷ* (cf. adnot. 1 huius pag.) in *ἴσον ὂν οὐρανῷ* emendantes coelo similem eam reddamus, sive illud codicum *ἐν ουρανῷ* servantes „in tentorio regio“ intellegimus, Hesychii ad. v. *οὐρανός* adnotatis nisi: *Πέρσαι δὲ τὰς βασιλείους σκηνὰς καὶ αὐλάς, ὧν τὰ καλύμματα κυκλοτερῆ, οὐρανούς.* Sed contextu sententiarum non tradito nihil certi dici potest.

Praeterea Choeph. loco ab Oreste vestis illa sex nominibus significatur, in quibus etiam „ποδιστήρεσι πέπλοις“. Ποδιστὴρ autem in talarem vestem quadrat. Vestem dico, quamvis poeta plurali numero hoc loco usus sit, quam quidem licentiam esse poeticam iam eo probatur, quod plerisque aliis locis singularis exstat numerus, ubi eadem vestis vel πέπλος vel φᾶρος nominatur, vel aliis ornatur nominibus, ut ἀμφίβληστρον (Agam. 1337) vel ποίκιλμα (Choeph. 1010). Itaque una vestis intellegenda nobis est — permagna quidem, quod praeter illud „ποδιστὴρ“ etiam vocabula „ἄπειρος“ (Agam. 1336) vel „ἀτέρμων“ (Eum. 624) vel „πλοῦτος κακὸς εἵματος (Agam. 1337) probant. Quam artificiose factam et ornatam vocabulum „δαίδαλος“ indicat (Eum. 625), quae vox in eam, quae voci „ποὶκιλμα“ inest, notionem, cuius πολλαὶ βαφαὶ (Choeph. 1010) cruore Agamemnonis deletae a poeta commemorantur, optime quadrat. Erat igitur vestis bis vel ter tincta, purpurea sive potius figuris vel ornamentis purpureis distincta, vestis, inquam, muliebris; quod quidem Aeschylearum fabularum editores negant,[1] virilemque togam omnibus locis, quibus Agamemnonis necis mentio facta est, intellegendam esse putant. Quamvis vero gravibus causis ea, quae illi nequaquam probata proferunt, refutare non possim, tamen loco illo Agamemnonis (v. 1551) magnopere adiuvor, ubi etsi tropice Aegisthus loquitur, at verbis: „ἰδὼν ὑφαντοῖς ἐν πέπλοις Ἐρινύων τὸν ἄνδρα τόνδε κείμενον“ magis ad Clytaemestrae vestem, quae v. 1387 Furiarum munere se functam esse dicit, spectare mihi videtur. Quam rem ut melius perspiciamus, porro quaerendum est, quodnam genus vestium a poeta voce „φᾶρος“ significatum sit. Qua in quaestione et loci supra tractati et Choeph. v. 11 me adiuvant. Et illi

1. cf. etiam Studniczk. libr. supr. all. p. 134 adnot. III.

quidem loci et attributorum natura et re ipsa narrata demonstrant amplam togam eam fuisse, qua Clytaemestra maritum vincire posset (*πεδήσασ᾽* Eum. 625). Neque quisquam scilicet probare studebit Clytaemestram tunicam exuisse, quam marito suo circumiciat.[1] Immo togam iam deposuit, antequam maritum lavare inciperet, tum satis erat manu eam arripere arreptamque illi inicere.

Altero vero loco Choephorum chorus (v. 11) ab Oreste vestibus amictus appellatur:

τί χρῆμα λεύσσω; τίς ποθ᾽ ἥδ᾽ ὁμήγυρις
στείχει γυναικῶν φάρεσιν μελαγχίμοις
πρέπουσα; ποίᾳ ξυμφορᾷ προςεικάσω;

Nonne verisimile est hac voce amplissima illa pallia ab Oreste significata esse, quae in lugentibus feminis tam saepe monumentorum Graecorum reliquiae servaverunt?[2] Faciei vero vultusque velandi mos in lugentibus tam innatus est generi humano, ut usque ad haec tempora per tot saecula permanserit. Itaque nemo Aeschylum eum in fabulis suis sprevisse contendat,

---

1. In omnibus artis monumentis praecipue in vasis Etruscis, quibus hoc facinus ad eundem modum imitando effictum est — perpauca sunt monumenta — semper Clytaemestram tunicatam, Agamemnonem vero permagno pallio obrutum conspicimus. cf. Brunn, Urne etrusche p. 50—93. R. Rochette. Mon. inéd. I, 29.

Cum Aeschyli fabula melius cohaerere videtur urna, quae Ann. Instit. 1868 tab. IV. Brunn, Urne etr. 85. 4 depicta est. — cf. Schlie: Darstell. der troisch. Heldenkreise auf etr. Aschenkisten 1868 cp. V. Ingnirami. Gal. omer. Il. I. 6 et. Od. 7.

2. cf. Frid.-Wolt. Gipsabgüsse. Grabm. d. Korall. (Athen p. 1048, Grabm. d. Protonoe (Athen), quae medium tenet femina. Grabm. d. Archestrate (Attika) nunc Lugdun. Batt. Fr. W. 1049. Grabm. d. Familie d. Prokleides (Athen). Grabm. d. Mnesarete (Paris Louvre) Fr.-W. 1046. cf, Kekulé Thonfig. aus Tanagra tab. I et XV.

ne Odofr. quidem Müllerus qui (Aeschyl. Eum. p. 109 sqq.) scenicas vestes deorum heroumque plane alias fuisse censebat atque illas, quibus tum Athenis utebantur; quod rectum omnino non esse iam Studniczka praeter alios edocuit (libr. supr. all. p. 28 sqq.)

Jam ut omnia, quae exposui, componam, Aeschylum, quoad demonstrari potest, nunquam nisi de femineo vestimento loquentem hac voce usum esse apparet. Qua togam et eam quidem amplissimam significatam esse, inter quinque illos, qui exstant, quattuor locis probasse mihi videor. Nusquam tunica φᾶρος nominata est. Colorem vero pallii illius variare videmus: lugentibus nigrum μελάγχιμον (Choeph. 11) laetis hominibus purpurei et varii coloris fuisse πολλαὶ βαφαὶ ποικίλματος verba docent; δαίδαλος autem artificiose textum et ornatum vestimentum significat.

Eadem apud Sophoclem. Qui cum sexies, ut vestem significaret, vocem eam adhibuit (Ai. 916. Trach. 917. Nauck. fragm. 269 (Inach) — fragm. 333 (Crisis), fragm. 344 (Laoc.), fragm. 527 (Teres) — in solo Laocoontis fragmento virile vestimentum hac voce appellare videtur — videtur, dico, nam magnopere probo, quod Dielsius benevolentissime mecum communicavit, qui βύσσινον illud φάρος in Veneris vestem trahit.[1]

---

1. Dielsius quidem hoc modo: „Cum Laocoontis locus unus apud scaenicos virilem togam significet, verendum est, ne fragmenti brevitate decepti falso interpretemur. Nam siquis byssinam fuisse vestem reputet (cui verbum καταστάζοντα aptum est quasi umida membris defluat), sane muliebrem fuisse coniciet, donatam nimirum a Venere fugae suorum consulente. Amplissimam eam fuisse, qua avus, pater, filius simul involverentur et ab hostium conspectu defenderentur, sensit figulus ille, qui lucernam Pompeianam (Kekulé Antike Terrac. I tab. 47) fecit."

En ipsum fragmentum (Nauck 344 — Dion. Halic. 1. 48 p. 121)[1]

Νῦν δ᾽ἐν πύλαισιν Αἰνείας ὁ τῆς θεοῦ
πάρεστ᾽, ἐπ᾽ ὤμων πατέρ᾽ ἔχων κεραυνίου
νώτου κατασιάζοντα βύσσινον φάρος,
κύκλῳ δὲ πᾶσαν οἰκετῶν παμπληθίαν
συνοπάζεται δὲ πλῆθος οὐχ ὅσον δοκεῖς
οἱ τῆςδ᾽ ἐρῶσι τῆς ἀποικίας Φρυγῶν. — —

Omnino autem minus generaliter a poeta adhibita est vox, quam viri docti Trach. v. 916 sqq. nisi existimaverunt. Quos ut refellam paullo accuratius hunc Trachiniarum locum tractabo: Nutrix perterrita in scenam proruit et haec nuntiat: Domum reversam Deianiram, ubi filium lectum patri morienti sternentem viderit, sortem suam turpissimam acerbissime conquestam ad aram se proiecisse. Paullo vero post cubiculum Herculis cursu petivisse, ibique cum in lectum pallium prostravisset:

ὁρῶ δὲ τὴν γυναῖκα δεμνίοις
τοῖς Ἡρακλείοις στρωτὰ βάλλουσαν φάρη,

ipsam illum conscendisse, gladioque, postquam fibulam tunicae solvisset, pectus transfixisse — Quid? togamne hoc loco intellegimus an stragula? Quae quamvis nihil obstet, quominus intellegantur, ut sane interpretes intellegunt, tamen mirum est, cur poeta haec Herculis stragula *φάρους* voce significet, quod tenue vestimentum

---

1. Dion. Halic.: *Σοφοκλῆς μὲν ὁ τραγῳδοποιὸς ἐν Λαοκόωντι δράματι* — sequitur frgm. Cum Soph. fabulae argumento fortasse congruunt, quae Arctino tribuitur in Procl. Chrest. (ed. Westphal B, p. 239. 16) qui Aeneam cum omnibus suis clam in Idam montem confugientem facit, cum Laocoon et alter eius filius subito a duobns anguibus necatus sit. cf. Plut. de virt. et vit. cap. 2, qui omissis auctoris et fabulae titulis frgm. huius fragmenti profert. (Bernardakis I. 245.)

fuisse omnes veteres poetae et scriptores et hic poeta probat, qui cum uno loco, qualis haec vestis fuerit, commemorat, byssinam[1] eam dicit (fragm. 344). Quamobrem ut istiusmodi stragulis herois lecto pannum consutum sit, valde metuo. Idem heroes ipsi opinati esse videntur, quod tantum afuit, ut in linteis vel carbaseis vel xylineis stragulis, quae lectis imponerentur, cubarent, ut vellera mollia iis ab ancillis substernerentur, quod multa apud Homerum testimonia nos docent. Herculi ipsi me consulere existimo, si „φάρεα“ umquam stragula fuisse nego, et illud quidem meo iure, cum hoc uno loco nisos viros doctos straguli vim „φάρει“ attribuere conatos esse animadvertam.[2]

1. Byssum lini genus fuisse testatur Paus. V. 5. 2, Plin. Nat. Hist. 19. 11 — Philostr. vit. Apoll. 2,20 — Poll. VII. 75 (292) cf. Grothe: Gesch. d. Wolle u. Wollenmanuf. im Alterth. Deutsche Vierteljahrschr. 1866 p. 278. — Schoene: De pers. in Eurip. Bach. hab. scaen. p. 46. — Hugo Blümner: Gewerbl. Thätigk. p. 10 sqq. et Techn. u. Termin. d. Gew. u. Künste I. p. 187. — Marquardt Röm. Privatalterth. adnot. 915 et pag. 100 sqq. — Becker Charikl. III. 185 et 234 xylinas vel carbasinas vestes byssinas fuisse probare studet. Eadem Sprengel, Hist. rei herb. I. p. 15. Boetticher, Aldobr. Hochzeit p. 127 et Kl. Schr. pars. III. pag. 26. Eadem iam prius Forster: De bysso antiquor. Lond. 1776 p. 47, quem quidem refutare studebat Yates Textr. p. 334 sqq. et 468 sqq.

2. Bionis I. v. 3 et 65 (Ahr.)

κάτθεό νιν μαλακοῖς ἐνὶ φάρεσιν εὖ ἐνίαυεν,

quamvis ad stragula spectare videantur, tamen eodem modo Veneris vestes significare possunt, quod quidem verisimilius, nam v. 73 eadem *φάρεα* „*εἵματα*“ nominantur. At haec vestium sunt nomina, quamvis generalia, quod ne versu 885 Agam. (Aeschyl.) quidem:

μηδ' εἵμασι στρώσασ' ἐπίφθονον πόρον etc.

refutari potest, cum scholiastam ad v. 890 eiusdem fabulae adnotasse legamus haec: *νῦν δὲ τὰ ὑπὸ τους πόδας ἁπλῶς πέπλα οὕτως εἴρηκε.*

Sed ne opertorium quidem hic a poeta commemoratur — hoc quoque viri docti interpretati sunt — quod alibi (v. 549) mentione de Herculis lecto facta, chlaenam nominat. An vero aliter possunt versus illi intellegi:

καὶ νῦν δύ᾽ οὖσαι μίμνομεν μιᾶς ὑπὸ
χλαίνης ὑπαγκάλισμα; —

ubi Deianira acerbe et invidiose de se et Jola loquitur? Homerum scilicet secutus tali verbi notione usus est, qui persaepe, ubi lectum commemorat *χλαῖναν* profert.[1] At ne hic quidem poeta voce *φᾶρος* pro voce *χλαῖνα* ea, quam supra attuli, ratione utitur, quamquam ab eo *φᾶρος* saepe in viris commemoratur, quod tragici poetae rarissime faciunt. Praeter omnes digni, qui exempli causa proferantur, sunt versus Od. 14, 521 sqq:

τίθει δ᾽ ἄρα οἱ παρὸς ἐγγὺς
εὐνήν, ἐν δ᾽ ὀίων τε καὶ αἰγῶν δέρματ᾽ ἔβαλλεν.
ἐν δ᾽ Ὀδυσεὺς κατελεκτ᾽, ἐπὶ δὲ χλαῖναν βάλεν αὐτῷ,
πυκνὴν καὶ μεγάλην, ἥ οἱ παρεκέσκετ᾽ ἀμοιβάς
ἕννυσθαι, ὅτε τις χειμὼν ἔκπαγλος ὄροιτο, —

quibus etiam chlaena planissime vestimentum commemorata est, adhibita nonnunquam opertorii loco.[2] — Sed omnibus locis chlaena, nusquam *φᾶρος* fortasse eadem, quam supra enarravi, de causa, scilicet, quod haec toga „*λεπτοτέρα*“ erat, quam ut frigus a corpore

1. affero nonnullos locos: Od. 11. 189 sqq. — 19. 317 sqq. — 7, 336 sqq. — 4. 296 sqq. = Il. 24, 644 sqq. Homerum chlaenam virile vestimentum putasse vel Od. X. 542 apparet, ubi quid inter virilem et muliebrem interfuerit vestitum, ante oculos ponitur.

2. cf. versus Od. 4. 296 saepissime a poeta iteratos.

dormientis defenderet, cui rei chlaena multo magis idonea erat.[1]

At nunc refutatis virorum doctorum sententiis, simpliciter hoc modo interpretor: Quod Deianira lecto insidens, dum ense pectus transfigere studet, una tunica fibulata induta a poeta commemoratur; togam — nequenim tunica sola induta in scenam prodire potuit — in cubiculo antea ab ea depositam esse perspicuum est, ne nece lectus mariti inquinetur. — Togam dico, nam pluralem numerum licentiae poeticae tribuere possumus, quamvis aliis locis, ubicunque singulae singulorum hominum vestes significantur, singularis apud hunc poetam exstet numerus. Neque tamen complures togae in Deianira cogitari possunt! Haec quidem hactenus.

Eandem vestem poetae Ai. v. 916 sqq. in mente fuisse contra Sophoclis interpretes et lexica omnia probare conabor. Ubi haec Tecmessa, dum ad Aiacis corpus gladio transfixum, chorus appropinquat:

οὔτοι θεατός, ἀλλά νιν περιπτυχεῖ
φάρει καλύψω τῷδε παμπήδην, ἐπεὶ
οὐδεὶς ἄν, ὅςτις καὶ φίλος, τλαίη βλέπειν
φυσῶντ᾽ ἄνω πρὸς ῥῖνας, ἔκ τε φοινίας
πληγῆς μελανθὲν αἷμ᾽ ἀπ᾽ οἰκείας σφαγῆς.

Quem ad finem verisimillimum est Tecmessam suo pallio usam esse, cum neque Aiacem toga velatum in gladium irruisse,[1] nec Tecmessae, quae lugens in sce-

1. de chlaena cf. inter nonnullos Grothe. Gesch. d. Wolle u. Wollenmanuf. im Alterth.: „Als Winterkleid (chlaena) kam ein zottiger Stoff in Gebrauch.“

2. Sophoclis multi editores una cum Stephano virilem vestem hoc loco interpretantur. Jebb: Sophocles The plays and fragments (Aiax) (Cambridge 1896) cum scribit in praefatione: She (Tecmessa)

nam hoc loco profertur, togam, quae vultum eius amiciret, defuisse, credibile sit.[1]

Dolendum vero est, quod praecipue in fragmentis poetae haec vox nobis servata est, quae parvula sint, aut perparvum praebeant auxilium. Itaque fragm. 333 (Nauck) (Herod. περὶ διχρ. Anecd. Oxon. vol. III. p. 295. 10) (Lentz II, 1 p. 15,34) et fragm. 527 (Nauck) (Herodian. περὶ μον. λέξ. pg. 23. 36) (Lentz II, 2. 942) nec contra vestitum maliebrem dicunt, neque pro eo. In fragm. enim Crisis, satyricae fabulae (333 Nauck):

καὶ δὴ φάρει τῷδ' ὡς ἐμῷ[2] καλύπτομαι

---

will not suffer them to see what she has seen, but covers the body with a robe" diiudicare non vult, quaenam fuerit illa vestis. Paullo largiora in iis, quae ad v. 915 (p. 141) adnotat, invenimus; nam hic περίπτυχον φάρος „mantle wrapped round him" appellat, quod Tecmessae ab ancilla e tentorio quodam prope sito allatum esse suspicatur; at de ea re, utrum virile an muliebre fuerit illud pallium, non affirmat. Hermannus, Wunderus, Wecklinus de hac re verba non faciunt. A me stant Schmelzerus (Aiax ad v. 915) et Schneidewinus in praefatione V. ed. p. 56. — At recte nuper, cum Aiax Sophoclea in gymnasio quodam Berolinensi ageretur, actor, qui Tecmessae personam agebat, pallium sibi detractum super Aiacem prostravit et magno id quidem cum motu spectantium.

1. Quamvis scholiasta (Scholia Romana) ad verbum περιπτυχεῖ (v. 915): περιλαμβάνοντι ἐνδύματι, adnotet, cum videlicet illud φάρος indumentum esse putet, tamen verba περιπτυχεῖ et παμπήδην (cf. Lobeckii ad hunc locum notam), cum et vultus et pectus transfixum atque etiam totum corpus ea veste contegendum fuerit, ad togam laxissimam spectant, qua opus erat, nam idem actor, qui Aiacis partes in scena agebat, postea (v. 977) Teucri personam suscipit, quamobrem pegmate e scena emovendus figuraque necati Aiacis substituenda erat (cf. G. Wolff. Aiax ad v. 916).

2. Fr. W. Schmidtius (Krit. Stud. I. 258) Naberi in hunc versum coniecturam (Mnem. N. S. IX. p. 242): φάρει τῷ βυσσίνῳ pro τῷδ' ὡς ἐμῷ refutans, vim eius et licentiam castigat. At ipse, quamvis satis perspicuum fragmentum esse censeat, tamen „τῷδ' ὡς ἔχω conicit. Hoc vero modo de sua ipse re iudicium fert.

nihil nisi toga laxa (*καλύπτομαι*) commemorari videtur, quam muliebrem fuisse, quamquam plane probari non potest, attamen e satyrica fabula prorsus non excluditur.[1] Fortasse vero, si fabulae titulum recte accepimus, Paridis iudicium fabula tractaverat. Tum liceat forsitan conicere nequissimum satyrum occasione data pallio adea abiecto se ornasse.

In fragmento vero Terei (527 Nauck):

σπεύδουσαν αὐτήν, ἐν δὲ ποικίλῳ φάρει κτλ.[2]

e feminina et participii et pronominis forma *φάρους* in mulieribus usum nescio an optimo iure elicere possimus. Tantum pro certo haberi potest vestem varii coloris hic a poeta commemorari, quae — ut nunc omnia componam — quod *βυσσίνη* (fragm. 344) describitur, quod „*παμπήδην*" corpus Aiacis „*καλύπτει*" (Ai. 916), vel *κατά κεραυνίου νώτου* Anchisis *καταστάζει*, quod vero nunquam quoad cognosci potest nisi in *καλοῖς κἀγαθοῖς* commemoratur, subtilis, tenuis (*λεπτή*), laxa, splendida est toga, quae cum praetexta Romana componi posset, nisi ad feminas pertineret.

Ultimo loco memorandum est fragmentum 269 (Nauck), quod Hesychius exhibet s. v. *ἀναδείασ φάρος: πίων* (sic.) *Σοφοκλῆς Ἰνάχῳ παρὰ τὸ: χλαῖνάν τ' ἥδε χιτῶνα, τά τ' αἰδῶ ἀμφικαλύπτει.*" — „*πΐων*" corruptum esse inter omnes constat. Innius coniecit „*χιτών.*" Quod ea de causa displicet, quod hoc loco lexicographo vox *ἀναίδεια*

---

1. Nomina fabul. Satyr. *Πάνδωρα* Sophoclis, *Κίρκη* Aeschyli haec probant. Quam togam sicut in tragoedia laxam et pulchram esse potuisse docet Wieselerus (Satyrspiel p. 66. 113. 162) cf. Vase aus Ruvo (Neapel). Mon. dell. Instit. III. IV. 31. Vase von Aderno (Benndorf Gr. Sic. V. 6. 44).

2. Herodian. *περὶ μον. λέξ.* (36, 23) codices post „*φάρει*" etiam „*τῷδ' ὡς ἐμῷ καλύπτομαι*" exhibent; at haec ad frgm. 333 pertinere iam Dindorffius edocuit.

explicanda fuit, si omnino explicare hunc locum voluisset, quod non fecit. Quamobrem vox „*χιτών*“ a lexicographo interpretandi causa prolata hoc loco perversissima esset. — Salmasius „*ποιὸν*“ coniciens fragmento ipsi vocem attribuit, tamquam hoc loco ab Hesychio interpretatio neglecta esset, quod sane fieri potuit, cum de hac voce iam multum a lexicographo antea disputatum sit. Sed „*ποιὸν*“ nimis languet ac paene ineptum est. — Haec viri docti.

Egomet quod traditum est verbum „*πίων*“ in „*πῖον*“ lenissima correctione muto, verbumque fragmento ipsi insero. Quo adiectivo poetam usum esse, quamvis raro, attamen usum esse, docet versus 703 Trachiniarum.[1] Fortasse participium quoddam insequebatur, quale Homerus, perpetuum Sophoclis exemplar, A 149 adhibet, ubi Agamemnon impudentia indutus ab Achille increpitatur:

ὤμοι ἀναιδείην ἐπιειμένε, κερδαλεόφρον —,

fragmentumque ipsum ita explicandum est, ut poeta elato modo loquendi quempiam *ἀναιδείας φάρος πῖον* h. e. pingui impudentiae pallio indutum appellet.

Ceterum vox *φάρος*, cum orationis elatae sit propria, ad imaginem optime quadrat.

Iam quaerendum est, Euripides quomodo hac voce utatur. Is quidem sibi constans; nam ut alibi generaliores verborum notiones usurpare solet, ita huius vocis usu amplificato priores superat. E sedecim enim locis in togam muliebrem vix novem certo spectant:

---

1. Trachin. 701 sqq. (Bergk)) *ἐκ δὲ γῆς, ὅθεν*
προὔκειτ', ἀναζέουσι θρομβώδεις ἄφροι,
γλαυκῆς ὀπώρας ὥστε πίονος ποτοῦ
χυθέντος εἰς γῆν Βακχίας ἀπ' ἀμπέλου,
cf. Aeschyl. Agam. v. 748 (Kirchhoff): *πιόνας πλούτου πνοάς* . . .

Androm. 830 sqq.; Iphig. Taur. 1147 sqq.; Or. 839 sqq., 1431 sqq.

Andromachae versus tam evidenter togam etiam capiti iniectam[1] significant:

> ἔῤῥ' αἰθέριον πλοκάμων ἐμῶν ἄπο
> λεπτόμιτον φάρος,

ut hoc solum opus mihi sit commemorare tenui filo textam[2] hanc togam dicere poetam, ut similiter Aeschylus et Sophocles, quam scissam levibus ventis tradat (αἰθέριον = εἰς αἰθέρα).

Eadem vestis Suppl. v. 286 sqq. Iphig. Taur. 1147 sqq., El. 1230 sqq., Hippol. 133 sqq. tam manifesto significatur a poeta, ut argumentis opus non sit. Verba: λέπτ' ἐπ' ὀμμάτων φάρη βαλοῦσα (Suppl. 286) περιποικίλα φάρεα καὶ πλοκάμους περιβαλλομένα γένυσιν (Iphig. Taur. 1149). ἐπιβαλὼν φάρη κόραις ἐμαῖς (El. 1221). φάρεα σέγ' ἀμφιβάλλομεν (El. 1231).[3] λεπτὰ δὲ φάρη ξανθὰν κεφαλὰν σκιάζειν (Hippol. 133) satis superque nos docent. Hoc solum commemorandum est illud „λεπτόν" „λεπτόμιτον" saepe a poeta premi, quod quidem cum verbo πολυποικίλον coniunctum etiam apud hunc poetam splendidissimum efficit vestimentum.

Purpureo[4] denique colore, qualis mortuam decet,

---

1. Quod scholiasta adnotat: τὸ κρήδεμνον φησίν, quae dixi confirmat, neque enim in tunicam spectat, quae insequenti versu significari videtur. Togam vultum quoque tegentem invenis ap. Stackelberg. Graeb. d. Hell. tab. 67. Kekulé. Thonfig. aus Tanagra tab. 1. 8—10. 15.

2. cf. quae Blümner. Techn. n. Termin. d. Gew. u. Künste I. p. 147 sqq. de his mollibus tenuibusque pannis scribit.

3. Eadem vestis ab Aeschylo (Choeph. 481) et a Sophocle (El. 1468) κάλυμμα nominatur.

4. Purpureo colori quale quantumque insit momentum docet Diels. Sibyll. Blaett. p. 69 adnot. 2.

2*

magnus ille pannus fuit e singulis pannis consutus,[1] quo Helena sepulcrum[2] Clytaemestrae ornare voluit (Or. 1431 sqq.).

Paullo difficilius res in Herculis fabulae v. 413 sqq. diiudicatur: *τίν' οὐκ ἀφ' Ἑλλανίας ἄγορον ἁλίσας φίλων*
κόρας Ἀρείας πέπλων
χρυσεόστολον[3] *φάρος*
ζωστῆρος ὀλεθρίους ἄγρας,

quem locum Wilamowitzius nec priore neque altera libri editione plane enodavisse mihi videtur, quamquam virum doctissimum altera editione vocem „*φάρος*" multo melius intellexisse concedendum est. Cum enim ibi recte fecisse dicit poetam, quod hac voce balteum significet, hic *καταχρήσεως* culpam poetae dat, nam vetus illud verbum *φάρος*, quamvis vestes variae formae significet, attamen semper ad magnos spectare pannos. Sed cum talia vir doctissimus opinetur, cur summa cum vi — nequenim difficultates magnae iis rebus desunt, quas explicandi causa protulit (II p. 104. adnot. ad v. 412) — *φάρος* illud cum balteo Amazonis componit, cum nescire non potuerit Euripidem vulgarem illius fabulae formam, quae balteum Martis solum ab Hercule raptum esse

1. cf. Weilii (Sept. Trag. d'Eurip. ad hunc versum adnotationem. — „*Λινὸν*" vocem, quae a poeta profertur, linum vel filum significare, quod „*δακτύλοις*" Helenae colo (*ἠλακάτῃ* = cf. Nonn. Dion. VI. 147) „*ἑλίσσεται*" et ad consuendas vestis plagulas (*πτέρυγας*) adhibeatur, testis est Poll. X, 136 — cf. Blümner. Techn. u. Termin. d. Gew. u. Künst. I. p. 204.

2. Dona mortuis ibi fieri solebant a propinquis, ubi ossa eorum terra obruta erant. cf. Rohde. Psyche pag. 202 et adnot. 3.

3. de vestibus auro intextis cf. Yates Textrin, p. 366. — Marquardt. Röm. Privatalterthüm. p. 144 sqq. — Blümner Tech. u. Terminol. d. Gew. u. Künst. I. p. 155 et 211 cum adnotat.

tradit,[1] non secutum esse? — Nam Ionis v. 1143 sqq. complurium togarum in unam fortasse consutarum, tamquam praedae de Amazonibus captae, mentio fit, quas Hercules donum Delphis posuerit.[2] —

Quamquam igitur, qui maxime ab Hercule expetitus esset, balteum fuisse, Euripidi persuarum erat,[3] tamen vestes quoque praedae illi inhaesisse sive ipse excogitavit, sive ab aliis hereditate accepit. Quamobrem nihil obstare puto, quin *πέπλων* et *φάρους* vocibus verae vestes hic a poeta significentur.

Tantum de sensu, verba ipsa nondum persanata videntur, ut manus abstinere praestet.

Toga vero virilis El, 1221 sqq. hac voce significata esse videtur, ubi Orestes haec:

> *ἐγὼ μὲν ἐπιβαλὼν φάρη κόραις*[4] *ἐμαῖς*
> *φασγάνῳ κατηρξάμαν*
> *ματέρος ἔσω δέρας μεθείς.*

Attamen hic Orestis vestes, quas interpretes intellegunt, — poetae in mente non fuisse paucis verbis demonstrabo: Si vascula nonnulla[5] sequerer, facillima esset probandi via, nam nudus ibi fictus est Orestes; at cum hoc a tragoedia alienissimum sit, tum „*πόρπαμα*" in Oreste commemoratur (El. v. 819 sqq).

Quod quidem vestimentum ab Euripide solo[1] prolatum (Her. fur. 959 sqq.,[2] El. 819 sqq.) quamquam El.

---

1. Heracl. II. p. 104.

2. cf. Apoll. 2. 5. 9. eiusque interpretem Heynium.

3. cf. Heracl. v. 215 sqq. et quae Wilamowitzius ad. v. 417 Herc. fur. II. p. 104 commentatus est.

4. libri „*κόμαις*" pro „*κόραις*", quam vocem Victorinus coniecit.

5. cf. Gerhardt Etrur. u. camp. Vasenbild. tab. 24. cf. Mon. Inst. VIII. 15.

820 „εὐπρεπὲς“ nominatur, tamen Herculis versibus plane sagum virile significatur, quod in itinere (Orest.-Hercules aut in periculis tempestatibusque adhibitum breve et simplex fuisse videtur ad iter persolvendum maxime idoneum.[3] Si Salmasium secuti apud Hesychium πόρπαμα (vide s. v. πόρπαμα) pro codicum scriptura πορπάλλα legimus, et iam hunc lexicographum, qui breviter addito vocabulo „χλαμύς“ vestem illam explicat, testem eius rei afferre possum, quod πόρπαμα nullo modo idem ac φᾶρος vox vestimentum significare potest, nam χλαμὺς arta et stricta equitum est vestis.[4] Quo fit, ut non

---

1. Grammatici veteres vocem ἐπιπόρπαμα a scriptoribus Graecis adhibitam explicantes: κιθαρῳδοῦ σκευή (Poll. X. 190.) — κιθαρῳδῶν ἐφαπτίς (Eust. Il. p. 866 (905) v. 294) aliud vestimentum in mente habuisse videntur.

2. cf. Wilamowitzii ad Her. fur. v. 959 (πόρπαμα) adnotata, cf. quae Wieseler. Satyrspiel p. 12 sqq. adnotatione refutavit.

3. Quod Thesaurus interpretatur „indumentum“ fortasse e voce γυμνός (Her. fur. v. 959) leviter statutum ea de causa reiciendum est, quod cum homines vel toga privatos Atheniensibus illius aetatis nudos visos esse inter omnes constet (Xenoph. Hell. II, 1. 1. — Aristoph. Nub. 966 — Plat. Rep. V. p. 474 A — cf. Grothe, Gesch. d. Wolle u. Wollenmanuf. im Alterth. (Deutsche Vierteljahrsschr. 1866) p. 284. — Boettiger Opusc. p. 34. 3 — Becker Charikl. II. p. 91 et III p. 171. — Kraner zu Plat. Phoc. IV. p. 11.) — tum Hercules ipse, ubi insania abiit, vestibus indutus humi iacens commemoratur (v. 1198, 1202, 1205, 1226, 1231), quamvis nuntius γυμνὸν θέντα σῶμα πορπαμάτων eum insaniisse (v. 959) narraverit. At El. v. 819 sqq. soli Thesauri opinionem refutant, neque enim Orestes indumentum abiecit, ut hostiam mactaret.

4. Pollux X. 124: τὸ ἱππικὸν eam appellat. Eadem docent Müller. Dorier pars II. p. 266. — Wieseler Denkm. d. Bühnenwesens p. 72. — Hermann Griech. Privatalt. p. 177. Guhl et Koner. Leb. d. Griech. u. Röm. I. 287. — Becker Charickl. III. 174 — cf. Plut. Alex. 26, ubi Alexandriae pomoerium cum illa veste comparatur. cf. Ammon. p. 146.

intellegam, quonam iure poeta Orestis togam — nam totus locus togam indicat — El. 819 sqq. voce „πόρπαμα“ nominatum simul voce „φάρος“ (El. 1221) significare possit.[1]

Accedit, quod hoc uno loco — siquidem ad Orestis togam spectet, — haec vox virilem habitum apud Euripidem significet. Hoc uno, dico, nequenim multum El. v. 543 valet, ubi cum de puerili vestitu verba fiunt a virorum habitu alieno,[2] tum vox ipsa inter duas voces πέπλων eandem significantes vestem quasi oppressa esse videtur, fortasse non invito poeta.[3]

Qua de causa contenderim El. v. 1221 Clytaemestrae vestem accipiendam esse, quam et El. v. 1139, ubi Electra matrem adhortatur, ne in casa fuliginosa vestes inquinet,[4] φάρους nomine dignam et El. v. 1230, Or. v. 840 φάρος appellatam invenimus. Orestes igitur, ne matrem prostratam vitamque a filio petentem videat, pallio eius, quod illa antea abiecerat (κατεῖδος, οἷον ἁ τάλαιν' ἑῶν πέπλων ἔβαλεν, ἔδειξε μαστὸν ἐν φοναῖσιν . . .) oculos tegit. Quod poeta vocem φάρος et generalem vocem „πέπλος“[5] inter se permutat (1206—1221; 1227—1231), suo id iure facit.

---

1. cf. R. Rochette Monum. inéd. tab. 34 — περπάματι quodam amicitus Orestes.

2. cf. Hom. Hymn. in Apoll. Del. v. 122. — cf. Paul Girard. L'éducation ancienne au V et au IV siècle av. J.-Chr. p. 69. 86. 123: „Parfois ils sont vêtus d'une sorte de chemise à manches, dont le devant est ouvert.“ — cf. Stackelberg Gräb. d. Hell. tab. 17. nr. 4 — cf. Stark. Niobe u. die Niobiden p. 239.

3. Cum aliis locis Eurip. collegas suos acri iudicio percenseat, tum hoc loco in Aeschylum (Choeph. 223) invehitur acidaque lingua eum irridet.

4. cf. Otfr. Müll. Eumenid. p. 108 sqq. — cf. Raoûl Rochette. Oresteide tab. 25.

5. Centies et semel vox πέπλος ab eo adhibita est, quamobrem Euripideam appellare eam possumus, cui omnia alia vestium nomina cedunt. Decem huius vocis notiones in poetae fabulis exstant.

Atque haec quidem ad togam spectant. In medio vero relinquendum est, utrum toga an tunica muliebris hac voce significata sit: Hipp. 125 sqq. Phoen. 324 sqq. El. 190. — Uno tantum loco tunica muliebris certo statuenda est (Jon. v. 888 sqq.), nam κόλποις cingulis, quae tunicas solas cingebant, effectos esse satis superque cognitum est.

Omnibus autem locis non solum idem, quem supra commemoravi, splendor summopere laudatur, ut El. 317: Ἰδαῖα φάρη χρυσέαις ἐζευγμέναι πόρπαισιν[1] — Her.

Exempli causa nonnulla: Tunica virilis: Hel. 423 etc. — Tunica muliebr. Bacch. 821. 833. 935. 938 etc. Toga vir: Her. fur 1198. 1205 etc. — Toga mulieb. Hec. 423. 486 etc. — Minervae peplus: Hec. 466. Iphig. Taur. 222. — Vestis generaliter dicta: Alc. 215 etc. (vir.) — Hel. 181. 1087. 1186 etc. (muliebr.) — Vestis puerilis: El. v. 542. 544. — εἷμα vel ἐσθής; Her. fur. 702 sqq. — Pannus laceratus: Hel. 567. 1539 etc. — Textum quodlibet: Jon. 955. 1421 sqq. (fascia-incunabula) — πέπλος igitur apud eum omnia, quae quodammodo in pannum linteum vel laneum spectant, significat.

1. Fibularum in vestibus usum bis apud Eurip. invenimus: hoc loco et Hec. 1169, ubi Polymestor, quod sibi Hecubae ancillae oculos fibulis terebraverint, queritur. Bis igitur in barbaro vestitu. Mirum quidem esse videtur, quod ii, qui artis monumenta tractaverant, prorsus alia effecerant atque ea, quorum tragici poetae testes sunt. Cum enim Aeschyl. fibulas omnino non commemoret (semel verbo πορπάζειν utitur, ut vinciendi actionem significet (Prom. 61) — Soph. autem in tunicis tantum femineis (Trach. 925. Oed. R. 1245), Eurip. vero in vestibus barbararum mulierum eas proferat, — iam anno 480 a. Chr. n. Victoria dea veste Dorica induta ficta est, qui vestitus Ionicas vestes, quas apud Aeschyl. videmus, paullatim submoverat. (cf. Kalkmann. Zur Tracht arch. Gewandfig. p. 41). Omnes, qui de vestitu Graeco, arte nisi, scripserunt, bellis Persarum confectis commutatum vestitum accipiunt. Quamquam vero Aeschyl. quoque Pers. v. 183 Doricam et barbaram vestem discernit, at non in scena. (cf. Studniczka. Beitr. zur Gesch. d. altgriech. Tracht p. 12 et p. 23 sqq.) — Kalkmann Aeschylum omnino neglegit, scilicet quod is Jonicum chitonem solum exhibet in scena,

fur.: 414: *χρυσεόστολον φάρος* — Hippol: 126 *πορφύρεα φάρεα* — Phoen. 324: *φαρέων λευκῶν*, sed etiam artificiose texendi ratio (El. 191: *πολύπηνα φάρεα*,[1] Or. 840: *χρυσεοπηνήτων φαρέων*).

Quae cum ita sint, cum neque hunc poetam usquam nisi in muliebri vestitu vocem commemorare intellegamus, imprimis ut togam muliebrem significet (novies), illud satis mirari non possum, quod poeta Hec. v. 1082. — Hesychio quidem dubitante (*φᾶρος στέλλων· τὸ περιβόλαιον στέλλων ἢ τὸ ἄρμενον*) velum hac voce appellat[2] (*φᾶρος λινοκρίκον*).

Similia Homerus Odyss. *ε*. 258:

Τόφρα δὲ φάρε' ἔνεικε Καλύψω δῖα θεάων

Ἱστια ποιήσαςθαι — quamquam hic „*ἵστια*" *ἐκ φαρέων* fiunt, quamobrem vela non proprie *φάρεα* appellantur. Attamen liceat forsitan conicere, Homeri memoriam hoc loco apud Euripidem repeti; quod quidem verisimilius fit eo, quod longa „*α*" littera ad Homeri usum hoc uno loco ab hoc poeta servata est.

Ut nunc gravissima paucis complectar, idem est

---

neglecto Dorico. Quae quidem satis probant vestitum et habitum scenicum, qui Jonicus fuerit, cum tragoedia Graeca orta sit, aliquanto postquam in usu cottidiano fuerit, in Doricum commutatum esse — neque in viris prius (cf. Kalkmann p. 40) sed in feminis.

1. vox Eurip., quae vestimentum multo stamine textum significat, quam cum voce „*πήνιον*" panus, panucula (Blümner Techn. u. Term. p. 145 — Non. pag. 142. 22) cohaerere puto. De voce „panus" vero Papiae gloss. apud Du Cange: „panus: lignum, in quo ponitur trama, dictum, quod ex eo panni texuntur."

2. Schol. A. B. I. ad hunc locum: *Λέγει δὲ . . . , ὡς ναῦς τὸ ἄρμενον συστρέφων καὶ συστέλλων* — Schol. (Gr. J): *καθὰ νοῦς διὰ θαλασσίων σχοινίων λινόκροκον φᾶρος ἐκτείνων* — quamvis contrarias imagines depingant, tamen apud utrumque veli notitia imagini inest.

φάρους apud tres[1] tragicos usus. Significant enim, quoad demonstrari potest, togam muliebrem, cui magnae amplitudinis, eximiae tenuitatis mollitudinisque, ingentis splendoris inest notio, nisi forte luctus causa (Choeph. 11), nigro est colore. Apud Homerum quidem paullo alia statuenda sunt. Quamquam enim et apud eum toga neoquicquam aliud nisi toga hac voce significatur, est tamen praecipue toga virilis. — Pherecydes vero Syrius (fr. 4 Kern) *φάροις* nomine vestimentum appellat, quod aut feminae est, aut certe feminae cuidam dono datur (cf. Grenfell. Greeck Papyri II. fr. 11). Contra Xenophanes, illius aequalis, purpureas Colophoniorum vestes voce illa significat (fr. 3,3 Hiller). Apud Alcmanem autem (Parthen. fr. 23, 16) sub iudice lis est, utrum vestis quaedam an aratrum percipiendum sit.

Comicorum vero poetarum Philetaerus in fragmento, quod apud Athenaeum (Deipnos. I. p. 21 c), cum curae fuisse veteribus narret, ut vestes decenter collegerint, variosque probandi causa poetarum proferat locos, — omisso fabulae nomine invenimus hac forma: „*Ἀμφὶ στέρνοις φᾶρος* (sic!) *οὐ καθήσεις, τάλαν, μηδ' ἀγροικῶς ἄνω γόνατος ἀμφέξει*“ — in viro hac vestis voce uti videtur, et illa Homerica quidem producta eius forma. Attamen primum fabula ignota est, itaque quo sententiarum contextu haec verba a poeta dicta sint, nescimus, deinde cum e memoria a scriptore haec Philetaeri verba reddita esse videantur, fieri potuit, ut illius verbi „*τάλαν*“, quod virilem vestem probat, feminina forma a poeta scripta esset, praesertim cum, qui praecedit locus Saphicus, feminam quoque exhibet. Quamvis vero, quae exposui, teneri non possint, attamen

1. In reliquiis ceterorum tragicorum nulla *φάρους* est mentio.

totum illud fragmentum tale est, quale pro pallii illius maiore virili usu loqui nequeat.

Et haec fere inveniuntur de φάρους vocabulo apud poetas Graecos. Quamquam enim etiam ab Alexandrinis adhibetur, attamen raro neque alia atque tragicorum ratione. Theocritus omnino eam neglegit. Pedestris vero orationis scriptorum solus Herodotus, qui bis eam adhibet (II. 122; IX. 109) a tragicorum usu non abhorret.

Iam vero quoniam ipsi scriptores Graeci quomodo intellexerint hanc vestis vocem, exploratum est, age posteriorum temporum indicia vel opiniones colligamus.

Pollux eiusve auctores,[1] quamvis non optimam, verumtamen inter viros illos perfectissimam illius vestis usus profert imaginem. Nam cum inter elatae orationis voces eam commemoret (Z. 42. p. 284 Becker), suo iure hoc facit; neque hoc falsum vestem viris et mulieribus communem fuisse, siquidem non tragicorum poetarum, sed Homeri rationem habemus. At in vestibus tragicae artis nominibus grammaticus (lib. IV) φάρος omnino omittit.

Quod exemplum C. Frid. Hermannus (Griech. Privatalterthüm. Maennl. u. weibl. Kleid. p. 151 sqq.) et Adalb. Müllerus (Bühnenalterth. Das Kost. in d. Trag. p. 226 sqq.) secuti vestem φάρος silentio praetereunt.

---

2. Erw. Rohde (De Poll. in app. scaen. font.) Iubae θεατρικὴν ἱστορίαν huius grammatici fontem fuisse putat. — Dirksius (De histr. Graec. hab. scaen.) p. 15—16 Rohdium secutus pictura parietis cuiusdam Pompeis repertae illius opinionem confirmare studet. — Bappius (Leipz. Stud. VIII. p. 110 sqq.) ea, quae Rohdius profert, hactenus mutat, ut inter Pollucem et Iubam Tryphonem inserat, a quo Iubam pendere Rohdius putat. Alii ab his qui eandem fere viam ingressi sunt, discrepant. cf. Naber. prol. Phot. p. 79. — Egomet Rohdium opusculo suo egregiam ab adversariis victoriam reportasse puto.

Ceterorum vero grammaticorum vel lexicographorum turba unum fontem[1] sequi videtur, Didymum dico, intercedentibus forsitan Pamphilo et Diogeniano; nam omnes ad unum vocem *φάρος* verbis „*ἱμάτιον*“[2] — „*περιβόλαιον*“ explicant, praeterquam quod omnes praeter Hesychium etymologiam attingere conati naufragium fecerunt.

Photius vero et Suidas aliunde hausisse videntur, quod addunt: „*λέγεται δὲ ἐπὶ γυναικός*“[3]. Quod in verbi notionem a tragicis prolatam optime quadrat.

At ne unus quidem eorum veterem huius vocis prosodiam ab Homero usque ad Aeschylum adhibitam, scilicet „*φᾶρος*“ novit. Etymologica quoque hariolatio in sola correpta scriptione ab iis exstructa est (*φάρος*-*φέρεσθαι* — cf. pag. 6).

Quamvis igitur pauca et parca a lexicographis nobis tradita sint, attamen — excepta etymologia — recta.

Quamobrem valde miror, quod Guhlius et Konerus (Leb. d. Griech. u. Röm. p. 286) vestem illam atque chlaenam eodem loco habent et virilem solam togam intellegunt, quod ne in Homeri quidem usum quadrat.

De Wilamowitzii opinione iam supra rettuli.

---

1. cf. Rohde. libr. supr. all. p. 5 sqq.

2. *ἱμάτιον* hoc loco fortasse idem atque insequens *περιβόλαιον* significat; neque vero opus esse, ut togam quandam significet, ei, qui lexicographis operam dedit, persuasum est. Exempli causa: Suidas: *κροκωτός*: *εἶδος χιτῶνος* — *κροκωτός*: *ἱμάτιον Διονυσιακόν*. — vide quae ad *ἱμάτιον* extremo capite attuli.

3. cf. Dr. Georg. Wentzel. Beitr. zur. Gesch. d. griech, Lexic. Sitzungsb. d. B. A. XXVI. 1895, qui Photium et Suidam finitimos et propinquos reddit, qui ex uno libro (*Συναγωγὴ λέξεων χρησίμων*) variis fontibus aucto hauserint. Primum eorum fontium Harpocrationem commemorat, quem quidem a Didymo vel potius a Dionysio Halicarnassensi pendere puto.

Quamquam Guhlium secutus esse non videtur, tamen eadem fere profert Studniczka (Beitr. zur Gesch. d. altgr. Tr. p. 95), id quod inde explico, quod viro docto Homerus praecipue in mente fuerit, cui saepe neque vero semper *φᾶρος* virilis est vestis.

Restat, ut quae Stephanus (Thes. ling. graec.) dicit, commemorem. Verba eius: „Post epicos frequenter a tragicis dictum est (sclc. *φᾶρος*) de indumento et virili et muliebri" ipsa per se corruunt, postquam contraria probasse mihi videor.

Sed haec hactenus.

Mihimet quidem persuasum est huius vocis notionem, cum tragicorum temporibus in usu versari iam desierit, Homeri carminum notissimos locos apud poetas formasse.

Quos inter locos verisimillimum est valuisse plurimum Od. X versum 542 sqq, ubi Ulixes haec:

αμφὶ δέ με χλαῖνάν τε χιτῶνά τε εἵματα ἕσσεν
αὐτὴ δ' αργύφεον φᾶρος μέγα ἕννυτο νύμφη
λεπτὸν καὶ χαρίεν. —

Στολή (στόλος, στολμός, στολίς).

In iis, quae ad vestitum vel vestiendi actionem pertinent, vocibus, duas praecipue radices invenimus: Ϝες et σταλ vel στελ. Illa quidem vestitui peculiaris, huic etiam collocandi[1] et exstruendi[2] vel mittendi inest notio. Similia Prellwitzius (Etym. lex.) — At Curtius (Griech. Etym. p. 212) aliter opinari mihi videtur, quod Ahrensio (de aeol. 41) auctoritatem tribuit, qui aeolicum verbum σπόλα = στολή a radice „σπολ" scilicet „στολ" derivat. Vir igitur doctissimus radicem „στολ" vestiendi notionem exhibentem ab illa, cui mittendi vis inest, segregat. Nescio quo iure, cum vel Homerus ipse verbo στέλλειν et exstruendi et mittendi notionem tribuens unam tantum radicem novisse videtur. Eadem subsunt verbo slavico „stlati", cui simul et mittendi et vestiendi vel tegendi inest notio. Quantulum vero intersit inter vestiendi et exstruendi vel exornandi notiones, vel potius quantopere illae inter se cohaereant, in ipso στέλλειν verbo vestiendi sola notio nos docet, quam exornandi vis veluti affixa semper sequitur,

---

1. paleoi.: sthalati (collocare) — sthala (locus, terra) lit: stelati (ponere) — stalas (mensa); paleosl: stolŭ (sella) stlopu (statua, columna); goth: stolas; paleo germ: stalljan — Stuol; neo-germ: Stuhl; pgs: stal (locus) gr: στάλιξ, στέλεχος, στελέον — lat: stlocus.

2. lit: pa-stolai (tabulatum); gr: στόλη (armamentarium = ταμεῖον κτηνιῶν (Hesych) στέλλειν (ex-struere) hom: = mittere — στόλος = res exstructa = agmen. —

ita, ut — liceat exemplo uti — intersit inter *ἐννύναι χιτῶνα*" et „*στέλλειν χιτῶνι* (Trach. 612.)[1]

Atque haec quidem pauca de radice vocis. Quomodo vero poetae tragici voce ipsa usi sint, videamus.

Incipio ab Aeschylo: Praeter fragm. 61 (Nauck), de quo statim verba faciam, ter vocem illam usurpat. (Pers. 192. 991 — Suppl 703 sqq.) Quorum tamen locorum nullus ad vestitum ipsum spectat. Quod quidem postea ostendetur, nunc fragmento operam do:

Aristophanes. Thesm. v. 134 (Meineke) Mnesilochum haec verba loquentem facit:

καί σ᾽ ὦ νεᾶνις, ἥτις εἶ, κατ᾽ Αἰσχύλον
ἐκ τῆς Λυκουργείας ἐρέσθαι βούλομαι:
ποδαπός ὁ γύννις, τίς πάτρα, τίς ἡ στολή; ad quod

1. Trach. 610 sqq.: (Bergk):

σύτω γὰρ ηὔγμην, εἴ ποτ᾽ αὐτὸν εἰς δόμους
ἴδοιμι σωθέντ᾽ ἢ κλύοιμι πανδίκως
στελεῖν χιτῶνι τῷδε, καὶ φανεῖν θεοῖς
θυτῆρα καινῷ καινὸν ἐν πεπλώματι. —

cf. quoque Eurip. Troad. 378 — et *ἄστολος χιτών* (Nauck frgm. Soph. 788). Occasione data liceat mihi forsitan Gomperzii in hoc frgm. coniecturam refutare, qui (Mus. Rhen. 13. p. 479) *ὡραῖον* pro *θυραῖον* scribit, ita ut frgm. a Plutarcho (Lycurg et Num. comp. III. 5. 6.) prolati haec sit forma:

καὶ τὰν νέορτον, ἇς ἔτ᾽ ἄστολος χιτὼν
ὡραῖον ἀμφὶ μηρὸν πτύσσεται Ἑρμιόναν.

Egomet cum editoribus omnibus codicum lectionem servari volo. *Θυραῖος* enim eum significat, qui foris est (cf. Soph. Choeph. 108). Sophocles igitur *θυραῖον* femur virginum *φανομηρίδων* propterea dicit, quia chitonem Doricum in latere hiantem quasi ianuam apertam describit, qua femur prodeat inter currendum. Nudum autem crus nisi poeta perspicue dixisset, Plutarchus vix eum citasset. cf. Aeschyl. Agam. 800 sqq. cf. Studniczka (Beitr. z. Gesch. d. altgr. Tracht pg. 7) exempla chitonis Dorici affert ad poetae imaginem spectantia) cf. eiusdem libr. p. 8. adn. 20. —

scholiasta: *τὴν τετραλογίαν λέγει: Λυκουργίαν· Ἠδωνοὺς, Βασσαρίδας, Νεανίσκους, Λυκοῦργον τὸν σατύριον. λέγει δὲ ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς πρὸς τὸν συλληφθέντα Διόνυσον. ποδαπός* etc. —

Boettigerum integrum versum ex Aeschylo ab Aristophane petitum esse, probabiliter coniecisse, quod dicit Nauckius, id confirmatur certa perspicuaque scholii affirmatione pulchraque versus ipsius forma, siquidem scholiastam secuti in Dionysium eum conversum esse sumamus, neque in „*γύννις*“ vocabulo quamvis nusquam a tragicis vel epicis poetis prolatum sit offendendum est. — Totum igitur habitum[1] Bacchi cum hedera et baculo voce *στολῆς* significari verisimillimum est, quam verbi notionem Euripides imitatur, de quibus postea.

Reliquis locis alia ratione vox *στολὴ* ab eodem prolata est: Nam etsi Pers. v. 192:

χὴ μὲν τῇδ᾽ ἐπυργοῦτο στολῇ,

ubi Atossa somnium recitans de duabas feminis loquitur, quibus Xerxes iugum imposuerit, a scholiasta ita explicatus est, ut vestitum intellegamus (*τῇ Περσίδι δεικτικῶς, ὡς τῇ ἡμετέρᾳ, ἣν φορῶ*), tamen omnes interpretes et critici vocem illam f r e n a significare senserunt, de quibus iam a v. 190 agatur.

Itaque falso scholiasta vocabulum „*τῇδ᾽*“ *δεικτικῶς* interpretatur; neque enim hac una ratione apud hunc poetam pronomen „*ὅδε*“ adhibetur, sed etiam de rebus vel proxime praeteritis vel iam memoratis (cf. Agam. 1594. 1385. Choeph. 93. 107. 216 et permultos alios locos). —

---

1. Habitum dico, nam v. 250 ab Euripide in „*ἱμάτιον*“ et „*στρόφιον*“ — v. 253 sqq. ab Agathone in „*κροκωτόν*“ qui „*ἐνδύεται*“ (v. 253), in „*στρόφιον*“ (v. 255), in ea, quae „*περὶ τὼ σκέλη καταστέλλεται* (v. 256), in „*κεκρύφαλον*“, „*μίτραν*“ „*ἐγκύκλιον*“ „*ὑποδήματα*“ distribuitur.

Pers. vero v. 991:

ὁρᾷς τὸ λοιπὸν τόδε τᾶς ἐμᾶς στολᾶς

agminis loco vox adhibita, quod quidem iam scholiasta animadvertit: „*στολᾶς οἷον στόλου*“ scribens.

Similem verbi notionem Suppl. v. 730:

οὔτοι ταχεῖα ναυτικοῦ στράτου στολὴ
οὐδ᾽ ὅρμος.

habet, quo iter significatur. Eadem apud scholiastam: „*στολῇ ἀντὶ τοῦ ὁρμῇ.*“ —

Qua cum notione, quae Hesychius de hac voce scribit, congruunt; dicit enim: „*πορεία, κίνησις.*“ —

Itaque cum nusquam, — praeter illud fragmentum — de veste vel vestitu ipso vox illa ab hoc poeta adhibita esse videtur, primaria radicis vis mittendi (Pers. 991)[1] vel exornandi vel exstruendi (Pers. 191) ab illo servata est.

Amplior significatio vocis „*στολμός*“ apud eum regnat. Nam praeterquam quod vela (*στολμὸν λαίφους* Suppl. 681) significat, etiam in vestibus ornatus loco adhibita est (*πρόστερνοι στολμοὶ πέπλων* Choeph. 29); quam vocem scholiasta voce „*στολισμός*“ recte explicat.

Iam vero quid Sophocles? Qui septies eam vocem protulit (El. 191. Trach. 764. Phil. 224. 310. Oed. Col. 1356. 1597 — Mys. fragm. 379 (Nauck) (Poll. X. 186) neque usquam aliud nisi vestitum ea significat. Vestitum dico, quod generaliter voce illa utitur. Electra enim sortem suam conquerens (El. v. 190 sqq), cum *ἀεικοῦς στολᾶς* mentionem facit, totum suum vestitum significat, quod scholiasta verbis: *ἐλεεινὸν δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ λεληθότως ἐμφαῖνον τὸ σχῆμα τῶν ὑποκριτῶν* confirmare videtur.

1. cum hac notione iter faciendi notio coniungenda est (Suppl. 703 sqq.).

Eadem fere in Trach. v. 764 statui possunt, quamquam vox chitonis loco dicitur: *κόσμῳ τε χαίρων καὶ στολῇ κατηύχετο.*

Plane vero cum scholiastae ad El. v. 190 notis Philoctetae versus 223 sqq. congruunt, qui verbis Philoctetae *σχῆμα μὲν γὰρ Ἑλλάδος στολῆς* nihil nisi Graecum vestitus genus generaliter esse dictum commemorat. Phil. vero versus 310 indefinito pronomine „*τὶς*“ voci „*στολή*“ apposito, quominus certum et definitum vestimentorum genus sumatur, prohibet.

Neque aliter pluralem numeri formam[1] interpretari possum, qui in Oed. Col. fabula semper adhibetur (v. 1357 et 1597), quamquam unam vestem scilicet tunicam vel indumentum poetam Oedipo dedisse et vocabulum „*δυσπινής*“, quod ad vestem corpus ipsum operientem pertinet,[2] et haec res probat, quod vox illa

---

1. Fortasse Euripidis auctoritas, quae apud senem poetam magnopere valebat, etiam in hoc numero agnoscenda est; cf. Trach. 917 contra Aiac 916, *φάρη* — *φάρος*, utroque enim loco singulae vestes significantur. — cf. pag. 15.

2. De verbi „*πίνος*“ etymologia scribit Prellwitzius (Etym. lex.) haec: *πίνος* = fettiger Schmutz — *πιναρὸς* schmutzig — *πινάω* = bin schmutzig; Vpĭ = strotzen; triefen. — et ad verbum „*πίων*“: ind. pī-van schwellend, strotzend, feist — *πῖαρ* = Fett, Schmalz — *πῖον* = Fett, *πιήεις* = fett etc. . . , Quamquam et Herodianus (II. *περ. μον. λεξ.* p. 40) et Draco Straton. (p. 121. 17), qui haec de verbi scriptione: *Πίνος ἀεὶ συστέλλει, σημαίνει τὸν ῥυπόν.*“ ‚*Πῖνος δὲ ὄνομα ποταμοῦ, ἐκτείνει,* et Curtius (Griech. Etym. p. 276), qui voci „*πίνος*“ „*σπι*“ radicem imponit et a radice „*πι*“ vocem disiungit — videlicet bohemico verbo spina commotus, — alia statuunt, tamen quae Prellw. adnotat, satis probant *πῖνον* squalorem significare, quem in cute praecipue Graeci hominis, oleo inuncti, imprimis cum diu balneo egeret, exstitisse, necesse fuerit. Neque desunt argumenta scriptionis antiquae, quae haec optime confirmant. Iam Aeschyl. Agam. 742 haec: *τὰ χρυσόπαστα δ'ἐσθλὰ σὺν πίνῳ χερῶν κτλ.* Euripid. quoque Electram querentem facit (El. 304 sqq.)

Oedipi vestitum significat, quem poeta semper miserrimum pauperrimumque nobis describere studet. At id tum demum ei contingere potuit, cum togam calamitoso illi regi dempsit; nam sic Atheniensibus illius aetatis nudus fere visus est (cf. pg. 22. adn. 3).

Restat fragmentum 379 (Nauck) (Poll. X. 186):

„ψαλίδας (?) τιάρας καὶ σισυρνώδη στολήν“,

quod adeo abruptum grammaticus nobis servavit, ut perpauca enucleari possint. *Τιάρας* vox, ut barbarae vestes statuantur, adhortatur. Porro si Hesychium, vel potius eius auctorem Didymum[1] sequamur, qui „σισυρνώδη στολήν“ hoc modo explicat: τὸν ἐκ τῆς σισύρνης στολισμόν. διαφέρει δὲ καὶ σίσυρνα σισύρας. σίσυρνα μὲν γὰρ χιτῶνος εἶδος, σισύρα δὲ διφθέρας, εἰς ἀμπεχόνην καὶ στρωμνὴν ἐπιτηδείως ἔχουσα καθάπερ τὰ κώδια καὶ αἱ μηλωταί“, in „σισυρνώδει στολῇ“ chitonis quoddam genus quaerimus. Simillima cum Pollux (VII. 70) proferat, qui et hanc et illam vestem scorteis vestimentis adnumerat, tum minime ea cum eis conveniunt, quae ab Eratosthene, clarissimo eius auctore, statuta videntur (cf. Schmidt. Didym. p. 62 sqq. et Rohde De Poll. in app. scaen. fon. p. 23). At Suidas, qui σίσυρναν cognitam non habebat, σισύρᾳ soli ambas notiones vindicat, (cf. Tim. Lex. Voc. Plat. (Becker) p. 193 s. v. σισύρα).

„πρῶτον μὲν οἵοις ἐν πέπλοις στολίζομαι,
πίνῳ θ' ὅσῳ βέβριθ' κτλ. (cf. Rhes. 716),

Apoll. Rhod. vero (Argon. II. 200) „πίνον“ vel etiam cum voce „χρώς“ coniungit: Πίνῳ δέ οἱ εὐαλέος χρὼς ἐσκλήκει.“ Similia quoque Epigr. in Philos. (Antip. Anthol. Pal. 11. 158): καὶ τὸ χύθην ῥυπόωντα πίνῳ πεπαλαγμένον ἔσθος. Quae quidem satis mihi idonea videntur, quae πίνον cutis squalorem esse probent.

1. Hesychius Didymi λεξ. τραγ. et κωμ. in lexicon suum recepit (cf. Rohde. De Iul. Poll. in app. scaen. font. p. 8. — cf. quae p. 28 scripsi).

Photius autem Hesychii et Suidae notas confusas concisasque exhibet, quamobrem illorum fontes hoc loco conciliavit.

Paullo accuratius Schol. Aristoph. Av. v. 122 hanc rem tractat, ubi inter *σισύραν* et *νίσυρναν* et *σίσυν* ita distinguitur, ut *σισύρα* sit *σκέπασμα ἐξ αἰγείων δερμάτων; σίσυρνα* autem *ἐκ κωδίων ῥαπτόμενον ἀμπεχόνιον; σίσυς* denique *παχὺ ἱμάτιον.*

Quae quidem illud „*σισυρνώδη*“ satis illustrant, ut etiamsi vox ipsa Graeca origine fortasse non sit, hoc tamen perspicuum sit „*σισυρνώδη στολήν*“ habitum quendam scorteum significare, vestitus forma neglecta.

Accedamus ad Euripidem, in cuius fabulis vox *στολὴ* undevicies invenitur, quorum locorum quindecim generaliter de vestitu dicti sunt (Heracl. 130 Hel. 554. 1130. 1382. — Rhes. 204. 311. 503. 710. — Bacch. 828. 830. 836. 852. 980. 1156. — El. 966.) sive virilem habitum significant (Hel. 554. 1130. 1382. — Res. 204. 313. 503. 712. frgm. 688 (Nauck), sive muliebrem (Heracl. 130. Bacch: 828. 830. 836. 852. 980. 1156 — El. 966), sive splendidum sumptuosissimumque (El. 966), sive laceratum et pannosum (Hel. 554. 1382. Rhes. 503. 712) sive Graecum (Heracl. 130) sive barbarum (Hel. 1130 — Rhes. 313).

Bis in scorteo quoque habitu poeta vocem illam adhibet (Her. fur.: 465. Rhes. 204) cf. v. 208, semel in Mivervae aegide describenda (Jon.996) — semel „*στολὴν*“ cum genetivo vocis „*εἵματα*“ ita conectit, ut vocem ea vi structam videamus, quae apud Aeschylum voci *στολμός*“ inerat.

Euripides igitur Sophoclem non solum imitatur, cum nusquam nisi in vestitu generaliter dicto hac voce utatur, sed etiam superat, nam collectivam voci vim attribuit. Quamquam enim persaepe aliarum vestium

pluralem scribit numerum, etsi singulas vestes significat, nec uno quidem loco numero illo in hac voce utitur, quamquam compluria varia vestimenta in mente ei sunt. Exempli causa Baccharum fabulam affero, ubi v. 828. 830. 836. 852. 980. 1156 muliebris Baccharum vestitus habitusque commemoratur, quo Bacchus Pentheum exornat, quemque poeta v. 831 sqq. Bacchi verbis ita describit:

κόμην μὲν ἐπὶ σῷ κρατὶ ταναὸν ἐκτενῶ . . .
πέπλοι ποδήρεις· ἐπὶ κάρᾳ δ'ἔσται μίτρα . . .
θύρσον γε χειρὶ καὶ νεβροῦ στικτὸν δέρας . . .

Quae quidem omnia *στολή*.

Vocem *στολμός* hic poeta eodem modo atque Aeschylus adhibet, scilicet ut semper sive genetivus quidam explicativus (Alc. 216: *στολμοὶ πέπλων*. Andr.: 148. Her. fur. 526.: *στολμοὶ νεκρῶν*. Troad. 258: *στεφέων στολμοί*, imprimis vestimenti cuiusdam), sive adiectivum definiens ei addatur (Alc. 819: *μελάμπεπλοι στολμοί*; 923: *μέλανες στολμοί*).

Voce vero „*στολίς*" non solum ita utitur, ut plicam vestis ea significet, quae vulgo ei attribuitur vis (Bacch. 936,)[1] sed etiam sensu vocis „*στολή*" (Phoen. 1491):

στολίδα κροκόεσσαν ἀνεῖσα τρυφᾶς
ἁγεμόνευμα νεκροῖσι πολύστονον . . .

et vocis „*στολμός*" (Hel. 1358):

μέγα τοι δύναται νεβρῶν
παμποίκιλοι στολίδες . . .

Nunc vero paucis omnia!

Aeschylus igitur suam viam isse videtur; qui cum nova utatur voce, qua ante eum neque Homerus neque

1. cf. Poll. VII. 54 — Xenoph. Cyrop. VI. 4. 2.

Hesiodus, nec Pindarus, eius aequalis, usi sunt[1], utram que radicis „στελ“ attribuit ei vim, et mittendi et exstruendi. Contra Sophocles solam vestiendi notionem voci vindicans vestes generaliter significat. Euripides vero et hic sibi constans, quem a Sophocle acceperat generalem vocis usum, generaliorem reddidit: Quamquam enim plerumque vestitum hoc nomine appellavit, attamen fines eius transgressus est. Quamobrem cum ad Aeschylum reverterit, tum in sola exstruendi, exornandi notione acquievit, mittendi notione omissa. Haec tragici poetae.

Lexicographorum vero ei, qui hanc vocem commemorant[2], Aeschyli praecipue rationem habere videntur, quod mittendi notionem [(*πορεία* (Hesych.) *ἔκπεμψις* (Phot.] priore loco ponunt. Quae addunt „*ἔνδυμα καὶ περιβόλαιον*“ (Hesych.) et „*λέγουσι δὲ καὶ ἐσθῆτα, ὡς ἡμεῖς* (Phot.) quamvis perpaucis[2] Sophoclis quoque et Euripidis generalem usum confirmant. Neque deest verbis Photii „*ὡς ἡμεῖς*“ aliquid momenti, quae voci „*ἐσθής*“, cuius generalis sensus est proprius, — addita, iam exacta antiquitate etiam a Graeculis generalem verbi usum adhibitum esse probant, alienum ab eo, quem Xenophon (Cyr. 8. 1. 40)[3] vel Plutarchus (Alex. cp. 45) proferunt, qui indumentum quoddam virile barbarorum hoc nomine significant, — alienum

---

1. Comicorum poetarum *στολὴ* propius ad Sophoclis et Euripidis lectionem accedens, generaliter vestitum vel habitum significat (cf. Aristoph. Thesm 851. Ran. 591).

2. Hesychius: *στολή· στάσις, πορεία, κίνησις — ἔνδυμα καὶ περιβόλαιον.* cf. Rohde De Poll. in app. scaen. font. p. p. 4. 5. sqq. Photius; *Στολὴν μᾶλλον μὲν τὴν ἀναστολὴν καὶ ἔκπεμψιν· λέγουσι δὲ καὶ ἐσθῆτα ὧς ἡμεῖς* — cf. Georg Wentzel Beitr. z. Gesch. d. griech. Lexicograph. S. B. d. B. A. Mai 1895 p. 482.

3. *Στολήν τε γοῦν εἵλετο τὴν Μηδικὴν αὐτόν τε φορεῖν, καὶ τοὺς κοινῶντας ταύτην ἔπεισεν ἐνδύεσθαι.*

quoque ab illo, quem Romani scriptores, vocis vi immerito in longam laxam, rugosam tunicam muliebrem coartata[1] finxerunt propagaveruntque eum ita per saecula, ut vel hac[2] aetate vulgo idem existimetur et eodem modo adhibeatur, quamvis ii, qui de vestibus scripserunt, vocis mentionem omnino non faciant.

Desinamus ergo in vocem Graecam peccare, concedamus ei Graecam notionem!

---

1. Cic. 2. Phil. 18: Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti. — Hor. Sat. I. 2. 99: Ad talos stola demissa et circumdata palla. — Ovid. Ex. P. III. 3. 51: Scripsimus haec illis, quarum nec vitta pudicos Contingit crines, nec stola longa pedes. — Senec. vit. beat.: Hoc tale est quale vir fortis stolam indutus. — Ulp, Dig. 34. 2. 24: Vestimenta muliebria sunt, quae matris familias causa comparata sunt, quibus vir non facile uti potest sine vituperatione: veluti stolae, pallia, tunicae etc. — cf. quoque Ov. Trist. II. 252. Prop. II. 19. 81. Martial. III. 93 et X. 5. — Quamquam etiam citharoedi indumentum stola a Romanis appellabatur, tamen raro, saepissime vero „palla". — Vetustissimi tantummodo poetae Romani Graecam verbi notionem servasse videntur (cf. Enn. ap. Non. 14. 6. id. ap. Non. 3. 49. — Enn. ap. Fest. ad. voc. squalidum p. 329 (Müller) — scilicet, quod aliqua ex parte e tragicis Graecis pendent. Exeuntis demum antiquitatis scriptores nonnunquam Asiaticam vestem stola voce significant. Vulg. Interpr. Gen. 41. 42: Vestivitque eum (Joseph) stola byssina. cf. ibid. 45. 22. et Eustath. VI. 10. et. 11.

2. Cum „stolas" sacerdotum Christianorum dico, tum in mente mihi est ille quem et scriptorum et sculptorum Graecorum interpretes praebent usus, cum longum indumentum accuratissime describere student, quasi tunicae nomen vereantur.

Ἱμάτιον.

Nisi Pollux (VII, 68) vocis „ἐπιξώστρα“ gratia mentionem fecisset ἱματίου his verbis: . . . καὶ ἡ ἐν ταῖς Σοφοκλέους Κολχίσιν[1] ἐπιξώστρα· λέγει γοῦν· ἔχοντας εὐζώνους ἔστασαν ἱματίων ἐπιζώστρας“ . . . vocem ἱμάτιον in tragoedia Graeca frustra quaereremus, sicut neque apud Homerum, neque Hesiodum,[2] nec Pindarum invenitur. Quo fit, ut vocem elatae illorum temporum orationi alienam fuisse intellegamus.

Quod Aristophanes et alii comici poetae ea utuntur,[3] quae dixi confirmant; scilicet in vulgi ore solo ea tum versabatur. Accedit, quod vox apud comicos multo angustiorem prae se fert vim, quam posterioribus temporibus, quibus ut vocibus „ἐσθής“ vel „εἷμα“ tam generalem illi nonnunquam infuisse notionem videmus, ut nemo grammaticorum vel lexicographorum verbo explicando operam dederit. Immo persaepe eo usi sunt,

---

1. Codicum Parisinus A „Κολχίσιν“ exhibet — Parisinus B et Palatinus C „Ζωστῆρσιν“. —

2. Quod in Certamine Hom. et Hes. semel vocem reperimus (Hes. carm. J. Flach. Cert. 326. 13) contra illud carmen facit, scilicet Hesiodum illud non scripsisse, sed scriptorem quendam nonnullis saeculis post, quod quidem alioqui satis est certum. cf. Nietzsche. Rh. Mus. 25, 528 sqq.

3. cf. Henr. Jacob, Comic. dict. index. -- cf. Fred. Blaydes. Ind. praec. vocab. etc. p. 528 ἱμάτιον Nub. 54. Vesp. 408. Lys. 1084. 1093. Pl. 881 frgm: κατέβρωσεν ἱμάτια — ἱματίδιον: Lys. 401. 470. Plut. 985. —

quo alia vestimentorum nomina explicarent. Neque desunt alia momenta, quae generalem huius vocis vim, quam postea prae se ferebat, confirment, dico eius composita. Exempli causa: *ἱματιοκάπηλοι* (Luc. de merc. cond. 38. Pseudol. 21) *ἱματιοπῶλαι* (Poll. VII. 78. Eust. opusc. 99. 64) *ἀγορὰ ἱματιόπωλις* Athenis sita (Poll. I. 1), quae omnia ad vestimenta spectant, singulis generibus non distinctis.[1]

Attamen et his postremis antiquitatis temporibus, quae olim sola vocis fuerat vis, paululum vigere videtur, cum praeter generalem illam notionem etiam togae vel pallia ea significentur. Haec quoque, quoad demonstrari potest, fuerat sola vocis vis apud Aristophanem (cf. imprim. Lys. 1084. 1093. Plut. 881 (Meineke), at erat artis vox, quamvis deminutivum quoddam a radice „ἑς“[2] derivatum nobis videatur. Quae forsitan fuerit causa, cur vocem poetica illius aetatis oratione spretam animadvertamus. Neque enim poetis vitio vertendum est, quod — liceat recens exemplum afferre — voce Germanica „Ueberzieher“ vel Francogallica „paletot“ non utuntur.

Quae quamquam ita se habent, Sophoclem solum tam audacem reddit grammaticus, ut vocem de trivio

1. cf. Frid. God. Schoenius. De Pers. in Eurip. Bacch. hab. scaen. p. 22 sqq. — cf. Henr. Thoelius. D. Ind. Schol. in Acad. Georg.-Aug. 1869/70 p. 17. —

2. Curtius. Etym. Wörterb.: p. 376 (nr. 565) a radice *ἑς* eam derivans sicut — *ἕννυμι* — *εἷμα* — pag. 711—712 haec adnotat: Gewiss ist das lange ī von *ἱμάτιον* dessen Stammwort. Hesych. hat *ἵματα· ἱμάτια* aufbewahrt, dies so zu erklären, dass wir ein älteres *ἵσμα* für *ἕσμα* voraussetzen. Wir erhalten also auch hier eine Konsonantengruppe. Die Länge des ī erklärt sich aus der Ersatzdehnung wie *εἷμα*. — Prellwitz Etym. Wörterb. „*ἱμάτιον* Mantel aus *Fισμάτιον* für *Fὸμάτιον* im Ablaut für *εἵματα* = Gewänder für *Féσματα*: *ἕννυμι* . . .

in scenam tragicam arcessiverit et extulerit. Et qua ratione? Ut togam vel generaliter vestem significet? Immovero tunicas quasdam virorum „ἱματίων“ voce appellat. Neque enim ad alium spectant vestimentum et participii „ἔχοντες“ forma masculina, quam pro corrupta „ἔχοντας“ coniciendam esse inter omnes constat, et vox „ἐπιζώστρα“, quae quamvis levius a grammatico tractata sit, quam ut certiora enucleari possint, attamen inter cingula ab illo enumeratur, quibus indumenta cincta esse satis superque cognitum est.

Sed iam in ipsum invectus sum fragmentum, quod quantum dubii exhibeat, cum breviter explanavero, Nauckium adiuvabo, qui illud causis non allatis Sophocli abrogavit.

At primum forma accusativi „ἔχοντας“ propter insequens verbum „ἕστασαν“ ferri non potest, simodo fragmentum illud efficit enuntiatum totum atque integrum. Sed hoc diu in „ἔχοντες“ emendatum est. Quamobrem transgrediamus hunc scopulum, ut in alios irruamus. Dico vocem „ἐπιξώστρα“ ipsam, cui totum fragmentum debemus. Aequalium enim Sophoclis neque Aeschylus neque Euripides nec ceteri omnes tragici eam usurpant itemque qui eos praecesserunt poetae Homerus Hesiodusque. Quod autem ne in „derisorum“ quidem castris — comici in mente mihi sunt poetae — eam invenimus, ne in vulgi quidem ore vocem tum fuisse pro certo habendum est. Itaque Sophocli peculiarem eam accepimus.

Sed haec non sola sunt dubia! In reliquis fragmenti verbis haud leviora nobis occurrunt. Adiectivum enim „εὔξωνος“ voci „ἐπιξώστρα“ additum nisi in hoc uno fragmento apud hunc poetam non invenimus. In fabulis quoque Aeschyli frustra illud quaesiveris. Quamquam vero Homero Hesiodoque (Scut. 31 et Catal. fragm.

138) Flach) abrogari non potest, tamen mulieribus tantum ab iis tribuitur. Quae vocabuli notio cum vocis „ζωνή“ vi, a qua adiectivum illud derivandum est, plane congruit; neque enim haec vox alia ratione adhibita est, quam ut femineum significet cingulum.[1] Sed Sophocles omnino aliter adiectivo illo usus esse dicitur; nam et viri intellegendi sunt in hoc fragmento (ἔχοντες), neque adiectivum passivam, quam apud alios scriptores, prae se fert vim, ut feminarum epitheton ornans sit, sed activam. —

Atque haec quidem de singulis vocabulis commemoranda erant: formam vero totius fragmenti ad chori carmen quoddam pertinere hoc modo, ut verba „ἔχοντες εὐζώνους“ iambicam tripodiam efficiant, reliqua tetrametrum dactylicum, dicit Wagnerus (Poet. trag. Graec. fragm. p. 298). Nisi hoc uno loco has metri formas collatas viderem, nihil haberem, cur dubitarem, sicut in mente mihi non esset nomen fabulae „Κολχίδες“ in dubium vocare, nisi codices Pollucis inter se dissentirent. Sed Paris. A lectioni maior fortasse inest verisimilitudo.

Iam vero absolvi dubiorum ordinem, quae quamquam ex silentio praecipue sunt argumenta, tamen fragmentum illud tantopere in suspicionem vocant, ut et Sophocli illud abrogare et ipsum corruptum intellegere malim. – Verumtamen Sophoclis nomen planissime a grammatico scriptum est, quod ille non finxit.

Quamobrem cum grammatico ipsi ullam dare culpam vereor, tum maiorem corruptelam toto huic loco inesse puto, quam primo obtutu crederes. Fortasse

---

1. In tragicorum fabulis ζώνης hi loci: Aeschyl. Choeph. 989. — Eum. 598. Suppl. 440. — Eurip. Hec. 762. — Bacch. 935. — Iph. Taur, 204. Nec Sophocles neque alius ceterorum tragicorum eam vocem exhibet. — Aeschylus „βαθυζώνους“ quoque feminas solus appellat.

neque „ἱματίων“ neque „ἐπιζώστρας“ grammaticus ullam fecit mentionem, sed et hoc et illud vocabulum glossae intellegendae sunt, quae ea, quae tradita erant, fortasse ζῶμα (El. 451) vel simile quoddam vocabulum, primo e fragmento ipso, postea illud cingulum, cuius causa prolatum est fragmentum, etiam e Pollucis verbis paullatim extruserint. Neque vero tam audaci sum animo, ut quicquam pro vero venditare audeam.

Tantum assevero Nauckium secutus Sophoclis hoc fragmentum quale quidem traditum est nullo modo esse posse. Cum origine autem Sophoclea simul cadit vocis ἱμάτιον incredibilis usus, quem severa antiquorum poesi spretum esse nunc satis constare mihi videtur.

Theses.

I.

Graecorum nomen non ex Epiro sed ex Boeotia in Italiam venit.

II.

Ovid. Fast. I 26 „auspice te“ pro „auspicio“ legendum est.

III.

Optimo iure Sarbievius Horatius Polonus appellatur.

Vita.

Natus sum Casimirus Janowski a. d. XVII. Kal. Mart. anno h. s. LXXII patre Theophilo, matre Maria e gente Lewandowska in vico Gorzykowo Cuiaviae. Litterarum primordiis in schola Gorzykowiensi, patris auspiciis ductus, incubui. Postea cum a. h. s. LXXXI in gymnasium Posnaniense Sct. Mariae Magdalenae me contulissem, novem annis et sex mensibus intermissis anno h. s. LXXXXI maturitatis testimonio adornatus, cum per sex menses morbo corriperer, studia removere coactus sum. Tum per alios sex menses praeceptoris domestici in domo Comitis Adolfi Poninski in vico Koscielec Cuiaviae munere functus a. h. s. LXXXXII Berolinum me contuli, ubi studiis ad linguas Graecam, Latinam, Slavicas, Britannicam, Francogallicam, ad archaeologiam, historiam, philosophiam pertinentibus me dedi. Abhinc iam amplius duos annos praeceptor sum filii Josephi de Kosciol-Koscielski, senatoris regni Borussiae. — Docuerunt me viri doctissimi: Diels, Huebner, Kirchhoff, Vahlen, Joh. Schmidt, Wattenbach, Brückner, Tobler, Wilamowitz-Moellendorf, Dilthey, Paulsen, Curtius, Kekulé de Stradonitz, Hirschfeld, Koehler, Schiemann, Lasson, Dessoir, Simmel, Winter, Schultz-Gora, Fröhde, lectorque Harsley. Seminario regio philologorum interfui sodalis extraordinarius per quater sex menses, exercitationibus philologis Dielsii sodalis ordinarius per sexies, epigraphicis et philologis Huebneri per bis, archaeologis Kekulei de Stradonitz, philologis Vahleni et Brückneri, philosophis Paulseni per senos menses.

Quibus omnibus viris illustrissimis gratiam quam maximam habeo. Imprimis vero, quo ex tempore philologiam tractare coepi, Dielsio, qui studiis meis benevolentissime semper adiutis viam rationemque demonstravit.